

COMMENTARIORUM

COMITIS

JACOBI PICININI

LIBER NONUS FELICITER INCIPIT.

Poftridie à Senatu literæ ad Legatum delatæ sunt, quibus significabatur de hyematione agendum esse, Ducum & Imperatorum Consilio; quin etiam vario rumore demissæ sunt pecuniæ, quarum inopiâ urgebatur exercitus; idque factum est, quo læti milites dispersam eorum suppellectilem colligere, & equos semivivos rescere possent hyematuri: quibus rebus redeunte ad castra Legato Laudano militares stationes distribuuntur. Regio erat apud Glaream fluvii Abduæ ultra Olium aënem. Hæc Scipioni consilio, aut forte obvenit. Hanc regionem cum sterilem esse etiam in pace milites intelligerent, omnes ferè in unam sententiam apertè conveniebant, ne scilicet illuc acies ad hybernandum produceret, quandoquidem insufficientes ineptaque est ea plaga tantum exercitum, totque equos infra sinum suum alere. Aliter, hominum Deorumque fidem testabantur, exercitum tam inlyti Imperatoris dissolvi oportere, cum non ampla pecuniæ spes adesset, nec supplementa illic esse ad cultum, victumque militiæ judicarent. Id illi aut iugementes aut ab imo corde suspiria trahentes, etiam ante Scipionem conquerebantur. At ille sapientissimus Imperator omnes utriusque ordinis milites comitate sermonis alliciebat, omnes spe quammaxima cohortabatur, partim sine cuiuspiam rei necessitate apud Abduam victuros, partim belli hostibus inferendi opportunitate. Est enim locus, unde aut in Laudensem, aut in Mediolanensem agrum facile excurrerent; quare futuros divites arridens omnibus assererat. Sed erant, qui dicerent, Scipionem vultu lætissimi simulare, dolorem in corde premere, ne socios ad ingrati hyemationem trahendos perterere videretur: quod ego falsum esse comperi ab ipso Scipione diligenter perscrutatus, qui stationes militares haud iniquas esse fatebatur, nec in tanta necessitate victuros milites, quantam ipsi prædicabant. Addebat quin etiam, parendum esse Illustrissimo Venetorum Imperio, non ab re illam regionem tutelæ ejus, & suæ fidei demandari, nec cuncta loqui coram Imperatore oportere. *Jam desinent*, sciscitanti mihi inquit, *ab hoc languore, cum primum causam Imperatoris, immo suam meliorem intelligent.* Interea propinquabat dies, quo exercitus dissolveretur. Jam Duces alii erant loca ad hyemandum peturi; sed nova res oblata mutavit sententiam. Evangelista Sabellus, quem apud Ceretum dimissum ante commemoravi, pridie Calendarum Decembris cum Annibale acceperat conditionem, Oppido illi sponte consignato; pretio ne, an prece, aut gratia fecerit, incertum est; sed oblata sibi ingratitudinem

A allegabat: quæ res Venetorum, Populorumque animos perterritit non mediocriter, propterea quod obsessi ante hac Laudenses, Cremanum agrum distabat enim Cereto Crema quinque passuum millibus, Laudo verò decem. Hoc cum Patricius vir, & singulari virtute Andreas Dandolus Cremæ Gubernator per nuntium festinantem significasset, continuò Tibertus Dux à Legato, & Gubernatore Cremam demittitur, ut cum Carolo Comite, cumque Matthæo Capuano, & peditibus, Oppidanorumque copiis præstent quam potissimè Castellis tribus subsidium. Hæc prope Ceretum ad unum lapidem ex bitumine & asseribus fabricata, erant, quas Lombardi Bastitas vocant. Justus etiam, ut apud Cremam hyerneret; sed à Gubernatore diligentissimo Castellis ante subsidium Tiberti provisum erat. Interea loci literæ ad Senatum delatæ sunt, quibus hæc omnia significabantur. Exercitus verò nequaquam dissolvitur; pecuniæ nuper delatæ, ut erat institutum, non distribuuntur; pabula equis deerant; omnes utriusque exercitus milites obloquebantur; quadrupedes fame peribant, nesciebant milites unde sibi victum queritarent. Tandem res adeò redacta est, ut si ipsa salus vellet, exercitibus Venetis salutem asserere non possit. His autem malis una spes erat, ut Senatus imperio exercitus dissolvatur, datis pecuniis, distributis viris pro hybernatione stationibus, in quibus se ipsos, & equos simul, milites possent rescere. Scipio autem, cum in angustam extremamque necessitatem militiam suam prospiceret, equos caritate frumentaria oppetere, milites queri, quod nihil esset eis, unde suos alerent, quin etiam triduo nec cererem esse, nec bibisse Bacchum, jusjurandum dare: primò, quo ad deferentur pecuniæ Venetiis deferendæ, starium frumenti per singulos equos dari jussit, ac panis tandem viris distribui. Deinde mutato consilio, orantibus Brixienfis agri Oppidanis & Villicis, ne alio mittatur Scipio hybernaturus, non ipse, sed cum aciebus quatuor, & militibus liberis, quibus præerat; Calendis Decembris apud Abduam flumen Carolus Gonzaga hyematurus proficiscitur: quæ res cum primùm pervulgata est, tanto gaudio, tantaque lætitia & voluptate exercitum Scipionis affecere, ut omnium miseriarum oblitii, ad Scipionem properarent, conclamantes, jam se laborem omnem causâ Imperatoris perluros, frigus, æstusque, & nives, sitim, inediamque perpeffuros, quin etiam omnem capitis periculum subituros. Serebant adhuc sermones inter se, ita ut sit, Scipionem esse sapientissimum Imperatorem, suos milites magnificere, omnia posthabere ad militiam

con-